

dultum hujusmodi tam a predictis Romanis Pontificibus, quam ab eo ultimo concessum fuerat, eatenus vigeant, dictus Urbanus Prædecessor Indultum prædictum per eum ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, & in eis contenta, ita tamen, ut provisiones hujusmodi servata dictarum literarum forma fierent ipsi quoque Indultum Canonicatus, & Præbendas Ecclesiæ Metropolitanæ Colonien. minime comprehenderet, nec ad eos se extenderet, ac alias sub certis modo, & forma etiam tunc expressis ad aliud quinquennium extendit, & prorogavit. Et postmodum similis rec. Innocentio Papæ X. Prædecessori etiam nostro per vos exposito quod causæ, propter quas Indultum hujusmodi tam ab eodem Urbano tunc novissime, quam ab aliis Prædecessoribus concessum fuerat, etiam eatenus vigeant, ipse Innocentius Prædecessor Indultum prædictum vobis per eundem Urbanum Prædecessorem ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, & in eis contenta sub certis pariter conditionibus, modoque, & forma tunc expressis ad aliud quinquennium pariter concessit, quinquenniumque hujusmodi postmodum ad aliud etiam quinquennium a die 20. Februarii 1650. computandum extendit, & prorogavit. Ac demum Nos supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati per binas nostras in simili forma Brevis literas, unas die 28. Augusti 1655., & alias die 8. Januarii 1661. respective expeditas Indultum prædictum vobis concessum, & prorogatum, ut præfertur, sub certis modo, & forma tunc expressis semel quidem ad quinquennium, novissime vero ad triennium tunc proximum respective de novo concessimus, & alias prout in prædictis nostris, ac in singulis memoratorum Prædecessorum in eadem forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

§.2. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecistis novissime concessum per Nos triennium hujusmodi expiraverit, & causæ propter quas idem Indultum per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores nostros pluries concessum, & prorogatum respective fuit, etiam num vigeant, Vosque propterea Indultum hujusmodi ad effectum superscriptum per Nos vobis de novo concedi summo opere desideretis; Nos specialem vobis gratias facere volentes, & vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus vestro nomine Nobis

super hoc humiliter porrectis inclinati, Indultum prædictum vobis, sicut præmittitur, a Nobis bis concessum cum omnibus, & singulis contentis in literis prædictis, ita tamen, ut provisiones hujusmodi servata dictarum literarum forma fiant, quacumque præsentia praxi, consuetudine, seu tolerantia contraria non obstante, quam potius abusum esse, & proinde præsentem Indultum in omnibus, & per omnia juxta ejus tenorem, & proprietatem, prout verba illius sonant, & non aliter, nec alio modo servari debere decernimus, & cum hoc, quod Indultum hujusmodi Canonicatus, & Præbendas Ecclesiæ Metropolitanæ Colonien. minime comprehendat, nec ad eos se extendat, ac sine præjudicio Ven. Fratris moderni, & pro tempore existentis Archiepiscopi Colonien. necnon cum omnibus, & singulis aliis facultatibus, concessionibus, & ordinationibus, clausulis, & decretis appositis in dictis literis, ac servata in illis, & per omnia earundem literarum forma, ad quadriennium a data præsentium computandum auctoritate apostolica tenore præsentium de novo concedimus; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§.3. Decernentes etiam vos quadriennio prædicto per Nos concessio durante, hujusmodi Indulto, ac desuper confectis literis prædictis libere, & licite uti posse, ac irritum, & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Volumus autem, & earundem tenore præsentium ordinamus ne Ecclesiæ, in quibus personæ nominatæ hujusmodi vigore vacationum, aut collationum prædictarum, eisdem Canonicatus, & Præbendas obtinerint, ob earum impedimentum in legendo debitis defraudentur obsequiis, aut cultus divinus in illis minuatur, ut eadem personæ si illis ea hora, qua ipsa divina officia celebrantur, legendum fuerit, tunc per idoneos substitutos inibi deserviri facere possint, & ita deserviendo pro residentibus, & inservientibus habeantur, ac distributiones quotidianas lucentur, in omnibus, & per omnia perinde ac si personaliter deservirent, diebus Dominicis, & festis principalioribus videlicet Domini Nostri Jesu Christi, ac Gloriosissimæ Virginis, & Beatorum Apostolorum, & in quorum honorem dedicate sunt Ecclesiæ prædictæ, aliorumque Sanctorum, quorum dies in singulis eisdem Ecclesiis solemnnes, & celebres habentur exceptis, quibus eis non per Substitutos, sed per se ipsos

Clausula.

Transumptorum fides.

fos personaliter deservire teneantur; quodque hujusmodi Canonicatus, & Præbendas personis ad profitem. in aliqua ex dictis Universitatibus idoneis repertis, qui iurejurando ad profitemi munus diligenter, ac immediate post Canonicatus, & Præbendas adeptionem exercendum se adstringant dumtaxat conferantur, ipseque personæ prædictis Canonicatus, & Præbendas per eas hujusmodi nominationis vigore obtentos, nisi in manibus nostris, & pro tempore existentis Romani Pontificis cum specificamentione, quod illos vigore nominationis hujusmodi consequuti sunt resignare, aut alias dimittere nullatenus possint, alioquin Canonicatus, & Præbendas hujusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi possit, usque personæ sic nominatæ prædictæ intra sex menses a die collationis, provisionis, aut cujusvis alterius dispositionis de Canonicatus, & Præbendas, ad quos illas nominari contigerit sibi facien., ut præfertur, novas provisiones super illis a dicta Sede impetrare, & Literas Apostolicas desuper in totum expedire, ac jura Camera Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere omnino teneantur alioquin dictis sex mensibus elapsis Canonicatus, & Præbendas hujusmodi vacent eo ipso, ita ut aliis per eandem Sedem tantum libere conferri possint.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, eisdem Ecclesiis, & Capitulis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolutis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, & iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi acti de verbo ad verbum infererentur, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque;

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Martii 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

Clausula sublata, & Decretum irritans.

Dat. die 14. Mar. 1664. An. IX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CDLXIX.

Dismembratio, ac separatio a Provincia Lugdunen. Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minorum nuncupatorum sex conventuum, videlicet Belliregarden., Calvimonten. Brivaten. Claramonten., Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

Curtipetren., & Uffonen. Nationis Arverniæ Ordinis hujusmodi, eorumque erectio in novam Provinciam Arverniensem nuncupant.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN supremo militantis Ecclesiæ folio, merito licet imparibus, divina dispositione collocati, ad ea peculiare vigilantia nostra curas libenter convertimus, per quæ exortæ inter Religiosos viros controversiæ opportunis rationibus dirimantur, & novæ Provincie instituantur, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum conspicimus in Domino salubriter expedire.

§.1. Itaque causam dismembrationis, ac separationis sex Conventuum, videlicet Belliregardenis, Calvimonten., Brivaten. Claramonten., Curtipetren., & Uffonen. Nationis Arverniæ Ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula Minorum nuncupatorum a Provincia Lugdunen. ejusdem Ordinis, & eorum in novam Provinciam Arverniensem nuncupandam erectionis, ad instantiam dilectorum filiorum fratrum ipsius Arverniensis nationis dirimere cupientes, ac eorumdem Fratrum Arverniensis Nationis singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui informationem dilecti filii Correctoris Generalis Ordinis hujusmodi desuper habuerunt, remque mature examinarunt, ac perpenderunt, consilio, memoratos sex Conventus a dicta Provincia Lugdunen. auctoritate Apostolica, tenore præsentium dismembramus, ac separamus, eosque in novam Provinciam dicti Ordinis Arverniensem nuncupandam erigimus. Mandantes propterea eidem Correctori Generali, ejusque pro tempore in officio cuiusque Successori, ut Provinciam Arverniensem sic erectam, cum aliis dicti Ordinis Provinciis connumeret, ipseque Corrector Generalis una cum suo Definitorio pro hac prima vice dumtaxat Correctorem Provinciale Provincie hujusmodi eligat usque ad proximum Capitulum generale inclusive duraturum, & votum in eodem Capitulo Generali prout ceteri ejusdem Capituli Vocales habiturum; & in reliquis omnibus ad Constitutionem præfatam novæ Provincie occurrentibus cum ipso Definitorio pariter pro hac vice auctoritate nostra provideat, ac decernat.

Exordium.

Dismembrationem concedit Pontifex aliisque ad effectum a disponit.

Z z Decer.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes eadem presentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in premissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus in contrarium deductis pro parte fratrum Nationis Lugdunen., ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, ac Provinciae Lugdunen., & Conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Mar. 1664. An. IX.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Martii 1664. Pontificatus nostri Anno IX.

CDLXX.

Eximit Fratres, & Conventus Tertii Ordinis S. Francisci in Castellae, Galliciae, & Legionis Regnis degentes ab omni jurisdictione Ministri Provincialis Minorum de Observantia S. Jacobi.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci in Castellae, ac Galliciae, & Legionis Regnis degentium Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita exposito, quod ipsi aegre ferebant eorum Ordinem in illis partibus pejorem quotidie in statum prolabi ex eo, quod Superiores ejusdem Ordinis, & Regulae non haberent, a quibus immediate regerentur; quodque dudum felicis recordationis Clemens Papa Octavus Praedecessor noster ordinaverat, ut Conventus dicti Ordinis in Lusitania consistentes Ministro generali Ordinis Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Commissario generali familiae Ultramontanae ejusdem Ordinis immediate subiecti remanentes pro-

prium Ministrum Provinciale, & Definitorum sibi eligere possent, eaque ratione multis inconvenientibus obviam itum optimique effectus ad Dei gloriam, & Religionis incrementum inde consequuti fuerant, sicut experientia compertum erat.

§.1. Et in eadem expositione subjuncto, quod ipsi Exponentes propterea eorum Conventus in Regnis supradictis constitutos ab omni jurisdictione dilecti filii Ministri Provincialis Provinciae S. Jacobi dicti Ordinis Minorum de Observantia eximi, & liberari, sibi que ut dilecto filio Ministro generali ejusdem Ordinis Minorum de Observantia immediate subiecti remanentes ab uno Ministro Provinciali, & quatuor Definitoribus, seu Discretis praefati Tertii Ordinis, qui in Capitulis quolibet triennio sub praesentia dicti Ministri Generalis, vel Commissarii familiae Ultramontanae Ordinis Minorum de Observantia hujusmodi, aut alterius per eos deputandi, juxta dispositionem Constitutionum dicti Tertii Ordinis celebrandis eligi deberent, ad instar Provinciarum Lusitaniae, & Boeticae, non obstantibus rec. mem. Pii Papae V. Praedecessoris pariter nostri literis, quinto nonas Julii 1568. emanatis, quarum initium est: Ea est Officii nostri ratio &c. de cetero regerentur, & gubernarentur, concedi summopere desiderabant: Emanavit ab eadem Congregatione Decretum, tenoris qui sequitur videlicet.

Decr. Sacra Congreg.

§.2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, ad quam Sanctissimus Dominus noster instantiam hujusmodi remisit, attentis narratis, ac audita relatione Ministri Generalis Ordinis, precibus Oratorum benigne annuens, decrevit, & mandavit eisdem Oratores, seu ipsorum Conventus in posterum a jurisdictione Ministri Provincialis Provinciae S. Jacobi de Observantia exemptos, & tantummodo eidem Ministro generali, & Commissario generali familiae Ultramontanae immediate subiectos fore, prout harum serie eximit, ac respective subicit, eidemque Ministro Provinciali injungit, ne ullatenus in eorum gubernium curam, aut quamcumque jurisdictionem se intromittat. Insuper eadem Sacra Congregatio statuit, ut deinceps praedicti Oratorum Conventus regantur per Visitatorem Provinciale, Definitorum, aliosque Officiales ex eorum gremio assumendos, & eligendos, juxta Constitutiones Ordinis, & in reliquis omnibus ad instar Provinciarum Lusitaniae, & Andalusiae praefatarum. Pro hac autem prima vice electio praefatorum Visitatoris Provincialis, Definitorum, & Officialium fiat a dicto Ministro generali una cum suo generali Definitorio; & ita Sacra Congregatio praesentium vigore decernit, mandat, & statuit, & Nuncio Apostolico apud Regem Hispaniarum pro tempore degenti comittit, ut quatenus opus sit easdem praesentes omnes juris, & facti remediis executioni demanda-

Confirmat Pont. Decretum Sacra Congreg.

mandari faciat. Praedictis literis Apostolicis sanctae mem. Pii V., ceterisque contrariis alias in suo robore permansuris, minime obstantibus.

Romae 6. Martii 1664. M. Cardinalis Ginettus.

Decretum irritans.

§.3. Cum autem, sicut praefati Exponentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & efficacia apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsi Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationibus, suspensionibus, & interdictionibus, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum praesentium auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, salva tamen saepe in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

§.4. Decernentes eadem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Exponentibus plenissime suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores ju-

dicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus praefatis Pii Praedecessoris literis, ac pie memoriae Bonifacii Papae VIII., etiam Praedecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictorum Ordinum, ac Provinciae Sancti Jacobi, & Conventuum, aliisque quibuslibet etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem, prout fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 26. Mar. 1664. An. IX.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima sexta Martii millesimi sexcentissimi sexagesimi-quarti, Pontificatus nostri Anno IX.

Finis Anni IX.